

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:  
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam  
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius  
notitiam, informatio**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Dominica IX. post trinitatis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

# Dominica IX. post Trinitatis.

*Evangelium Luc. 16. v. 1. --- 9.*

## EXORDIUM.

**I**nteralia Festa, quæ divinum Numen Israelitis celebranda mandaverat, festum quoque Tabernaculorum fancivit, ubi post congregatos fructus, in umbraculis septem diebus habitare, de optimis fructibus comedere, & lætitia exultare tenebantur, in maximorum beneficiorum recordationem, quæ Deus majoribus suis exhibuerat, qui etiam ædibus destituti in tabernaculis habitaverant Deo ipsis panem de cælo mittente, & coturnicibus pascente, ut nulla inopia unquam laboraverint. Levit. 23. v. 34.

Nos, dilecti! etiam celebramus Tabernaculorum festum, in hac miseriarum valle quotidie, dum enim domi sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino, 2. Corinth. 5. vers. 6. nec habemus civitatem permanentem, Heb. 13. v. 14. sed peregrini sumus in terra, Psal. 119. v. 19. & omnia quæ possidemus, bona aliena sunt, quorum procuratores Deus nos constituit, ut rationem de iis ei reddamus. Ab ipso habemus animam & corpus, corporis & fortunæ bona, & omnia quibus indigemus, ad sustentationem corporalis, & adaptionem æternæ vitæ. Ipse enim magnus ille Pater-familias est, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum, 1. Timoth. 6. vers. 17. imo quo plus largi-

tur, eò plus habet, quod largiri possit. Manus enim ejus non invalida est, Num. 11. vers. 23. Sed facit mirabilia, Psalm. 98. vers. 1. implens omne animal beneplacito. Psalm. 146. v. 15. Interea non proprietarii sumus eorum, quæ Deus nobis concessit: sed dispensatores duntaxat, unde facile conicere poterimus, quod aliquando interrogaturus sit opera nostra, & cogitationes scrutaturus, Sap. 6. vers. 4. Quando cuilibet nostrum dicitur: Redde rationem villicationis tuæ, sicut in prælecto Evangelio manifestum ejus rei exemplum habemus, quod propterea non inconcinne *idea Tabernaculorum* appellari potest: Ubi Servator terrenorum tabernaculorum & villicationis nos commonefacit, quomodo eam administrare debeamus, ne tabernaculorum æternorum jacturam faciamus: sed lætabilem vocem audiamus: Euge bone serve & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui, Matth. 25. v. 21.

Nos absque longiori præloquio ad ipsam Evangelii tractationem nos accingemus, meditaturi ex eodem:

I. Ἀρθροπολογίαν sive *notitiam nostri.*

II. Χριστολογίαν, sive *notitiam Christi.*

J. J.

Oo 2 In-

## Exegesis.

**I**nter alia, quæ nobis ruborem merito incutere debent, tam coram DEO, quam coram mundo, mentio quoque fit infidelitatis, quando illi, qui administrandis bonis præpositi sunt, fraudulenter agunt, acceptorumque & expensorum Proprietario rationem reddere nequeunt, ut verum fiat illud Siracidis: Pudeat te, non posse reddere tuæ administrationis rationem, Sir. 42. v. 24.

Hoc villico ita accidit, de quo Christus in prælecto Evan. ait, quod apud Dominum suum diffamatus fuerit, quasi dissipasset bona illius. Et postquam Herus ipsum vocavit, ut rationem redderet, iniquus inventus, ab officio remotus est: Nos hinc ansamprehendimus *notitiam nostri* meditando, quando spectamus:

I. *Concreditam Villicationem.* Erat enim homo dives, qui habebat villicum. Hoc parabolice intelligendum venit: Et quidem per hominem divitem, Pater noster cælestis indigitatur, dives in omnes, qui invocant illum, Roman. 10. vers. 12. Per villicum vero, omnes sine discrimine homines. Cæli cælorum enim Domino: terram autem dedit filiis hominum, Psal. 115. vers. 16. Non itaque Proprietarii sumus: sed omnia quæ possidemus, à Deo habemus, ut David fatetur: Benedictus es, Domine, Deus Israël, Patris nostri, ab æterno in æternum, &c. 1. Chron. 29. v. 11. seqq.

*Hic velim te ipsum examines, utrum hoc recte tecum perpenderit, & non potius ea in persuasione fueris, te proprietarium bonorum tuorum esse, quæ pro libitu tuo administrare possis.*

Horum multi sunt in mundo, qui omnia, quæ habent suis viribus & laboribus ascribunt, propterea sacrificant rei suo, & thymiana adolent sagenæ suæ, Hab. 1. v. 16. exemplo Nebucadnezaris, Dan. 4. v. 27.

Hoc iniquum est. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum, Jacob. 1. vers. 17. Ille distribuit, prout vult, 1. Cor. 12. v. 11. Uni quinq; talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem: quæ non abscondere: sed iisdem lucrari & rationem reddere debet. Matth. 25. v. 15. seqq.

*Hæc villicatio autem cui Deus nos præfecit, bifariam considerari potest:*

1. *Generatim.* A quo habetis animam rationalem, & corpus bene dispositum? Nonne à Deo, in quo vivimus, moveamur, & sumus? Act. 17. v. 28. Job. 10. vers. 8. 12. Hic est ille Dominus, qui Aaroni eloquentem linguam, Exod. 4. v. 14. Absoloni pulchritudinem, 2. Sam. 14. v. 25. Regi Hiskia, sanitatem, 2. Reg. 20. vers. 6. Simsoni fortitudinem, Jud. 15. vers. 12. aliisque alia dona concredidit. Non enim potest homo accipere quicquam, nisi ei fuerit datum de cælo. Job. 3. v. 17.

A quo habetis domum & agros, pecunias & opes? Nonne à Deo, qui Abrahamum divitem fecit in possessione auri & argenti, Genes. 13. vers. 2. qui Jacobo benedixit, ut duabus turmis egressus fuerit, Genes. 32. vers. 10. qui erexit de pulvere Josephum, & constituit Proregem Ægypti, Gen. 41. v. 43. qui obstetri-

cibus

cibus Ægyptiacis ædificavit domus, Exod. 1. v. 21. qui Jobo dedit, septem millia ovium, & tria millia camelorum, quingenta quoque jugaboum, & quingentas alinas, Job. 1. verl. 3. qui adhuc hodiè producit fœnum jumentis, & herbam servituti hominum, Psal. 104. v. 14. 15.

A quo habetis dona gratiæ, nempe verbum Ævangelii, & sacramenta, quibus miseris nobis hominibus, remissio peccatorum, justitia, quæ coram Deo valet, & vita æterna quotidie offertur? Nonne à Deo? Qui hoc ipso signum erigit, & prædicari facit pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, Luc. 24. 47. *Verbum Diploma* est, in quo nobis gratiam suam pollicetur: *Sacramenta autem quasi sigilla* sunt, quæ propitiationi annexit, ut firmiter credamus, quæ nobis proposuit, fore etiam & Amen, 2. Cor. 1. v. 20.

2. *Spei* enim Deus ministrum ecclesiæ, illum Magistratum, istum Patrem familiæ constituit. Quilibet vocationem suam habet à Deo. Illis dicit Apostolus, ne sibi ipsi honorem sumant, sed expectent vocationem à Deo, tanquam & Aaron, Hebr. 5. v. 4. Esa. 41. v. 17. Deistis dicitur, quod sint ministri regni Dei, quibus data potestas à Domino, Sap. 6. 5. Rom. 13. v. 1.

Patres- & matres- familiæ quod concernit, sicut & liberos & famulos, quilibet habet functionem suam à Deo, sicut unicuique; divisit, unumquemque; sicut vocavit Deus, ita ambulet, 1. Cor. 7. v. 17.

Sic nos nihil aliud sumus quàm Dispensatores Dei, quibus bona sua ille concredidit: idèò cautè ambulare debemus, iisque ad gloriam Dei & proximi emolumentum uti, dum possidemus. Et quando Dominus

ca aufert, æquo animo ferre, dicentes cum Jobo: Dominus dedit, Dominus abstulit, Job. 1. v. 21.

II. *Iniquam dispensationem*, Diffamatus enim est apud illum, quasi dissipasset bona illius. Ita hic villicus bona Domini sui administravit, ut nunquam de ratione reddendâ cogitaverit. Lautè enim in diem vivendo, vitam hanc perpetuam fore opinatus est. Sed postquam aliquamdiu bonis Domini ad libitum suum abusus est, diffamatur apud Dominum, quasi dissipasset bona illius. Quia igitur ratio accepti atque expensi non convenit, renunciat ipsi officium Dominus; quo ipso in tantas animi angustias conjicitur, ut quò se vertat, nesciat. Tandem ratiocinatur secum: Quid faciam? Fodere non valeo, mendicare erubescio: Sed mox colligens se, inquit: Scio, quid faciam. Convocatis itaque singulis debitoribus Domini sui, rationem adulterat, primo donat quinquaginta cados olei, alteri viginti chorostritici, hoc modo amicos sibi conciliat de Mammonâ iniquitatis, ut debitores vicissim commodis suis serviant. Ita furtum furto auget, & ex incommodis Domini commoda sua comparat: quod si enim rationem subduxeris, quantum in utroque incommodaverit Domino suo, damnum sexcentum florenis æstimari potest, non supputatis iis, quibus Dominum defraudavit, in officio ad huc constitutus. Quid videtur vobis, Dilecti! nonne restim meritis est? Sed non rete accipitri tenditur, neque milvio, die kleinen Diebe hengt man / und die grossen lässt man lauffen / at in Proverbio dicitur.

*Hic velim probes te, mi Christiane! annon & ipse bona, quæ Deus tibi concredidit, iniquè dilapidaveris & profuderis?*

O O 3

O Di-

O Dilecti! iniquus hic villicus multos fratres & discipulos reliquit, qui eandem artem callent, & varias argento comparando fallacias fingere norunt, illi præsertim, qui à rationibus sunt, & aliorum bona administrant. Occasio enim facit fures, *Es ist kein Aemptlein so klein, es ist Heu- wens werth.* Hinc multi ad amplissimas opes perveniunt, quibus ante ad rastros res redierat. Sed meritò tandem malorum messem metunt, divitias, quas impius devoravit, evomet, & de ventre illius extrahet eas Deus, Hiob. 20. v. 15.

Xenocrates, cum quempiam ad crucem duci videret, effusè risit, quærenti causam, respondit: ridiculum sibi videri, quod magni fures minorem ad mortem condemnassent, suspensuri eundem, quod tamen isti magis meriti fuissent.

Sic adhuc hodiè non infrequens est, ut fur, qui forte decem vel viginti florenos furripuit, ad patibulum condemnetur: Alii verò, qui multa millia compilarunt, in amplissimis dignitatibus constituti degant, ut Cato senior verè dixerit: *Privatarum rerum fures in compedibus vitam agere, publicarum in auro & purpurâ conspicuos incedere.*

Hoc ita in mundo fieri amat. Sed sententia eorum dudum lata est: Injusti regni Dei hæreditatem non consequentur, 1. Cor. 6. v. 9.

III. *Reddendam rationem.* Dominus enim eum propterea objurgans ait: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ.

Sicut hic villicus de ratione reddenda compellatus fuit, sic etiam nobis aliquando coram tribunali Christi ratio reddenda erit, quomodo bona nobis concredita dispensaverimus.

*Quilibet hic seipsum inspiciat, & probeat, quomodo sibi cum Deo conveniat, an rationem reddere possit, quando aliquando ad eam referendam adstringetur?*

De Hieronymo memoratur, quòd memoriæ ergò Musæi parieti inscripserit, hæc verba: *Memento suba Archangeli.*

Nos idem faciamus, semper recordantes rationis ultimæ, quam aliquando de omnibus dictis, factis & cogitatis reddere tenemur, non coram Imperatore Romano, aut alio Principe terreno, sed coram Domino Dominantium, qui corda scrutatur & renes, Jer. 17. v. 10, & scit, quid in homine sit, Joh. 2. v. ult.

Hæc ratio exquisitissima erit, quando Dominus dicturus est: Quid hoc audio de te, homo improbissime? Hæcine gratia est, quam retulisti mihi, qui tantis te beneficiis ornavi, & Dominum creaturarum omnium constitui?

Si hoc de bestiis audirem, aut diabolis, qui catenis noctis constructi sunt, 2. Petr. 2. v. 4. sive de ethnico, qui alienatus & sine Christo est, Eph. 2. 7. 12. tantopere non mirarer: Sed de te, quem ad imaginem meam creatum, ratione aliisq; beneficiis ornavi, Gen. 1. v. 26. 27. De te, quem tanto amore profecutus sum, ut proprio filio non pepercerim, sed eum pro te tradiderim, Rom. 8. v. 33. De te, quem filius meus dilectissimus, non auro & argento, 1. Petr. 1. v. 18. sed sanguine suo, adeoque magno pretio emit, 1. Cor. 6. v. 20. De te, cui Evangelium meum manifestavi, & sinceros Doctores largitus sum, qui nihil subtraxerunt tibi, quo minus annunciaverint omne Dei consilium, Act. 20. v. 20. Hoc non parum affligit me, beneficia mea non melius collocata esse. Age, rationem redde villicationis

tionis tuæ! Dedi tibi corpus bene dispositum, membra sana, oculos videntes, aures audientes, linguam eloquentem, & super hæc omnia animam rationalem.

Rationem itaque redde de corpore, oculis, auribus, lingua, manibus, pedibus, ut & de anima tua. Quin & ratio nobis reddenda erit de verbis nostris: Ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis, Matth. 12. v. 37.

De operibus nostris, an bona vel mala fuerint. His quidem secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem, Rom. 2. v. 9.

De cogitationibus nostris. Licet enim Jctorum regula sit: Cogitationis poenam nemo patitur: non tamen hoc valet in foro Dei, Matth. 5, 28. Opera enim & cogitationes congregabit Deus, Es. 66, 18. O gravissimam rationem, quam unusquisque nostrum pro se reddet Deo! Rom. 14, 13.

Sic & in publico officio constitutis strictissima ratio reddenda erit. Cui enim multum datum est, multum quæretur ab eo, Luc. 12. v. 48.

Primum enim ad tribunal citabuntur, *Ministri Ecclesie*, cujuscunq; illi sint ordinis: Pontifices, Cardinales, Abbates, Prælati, Superintendentes, Pastores, Diaconi, &c. Hos Christus alloquetur: Constitui vos dispensatores mysteriorum Dei, 1. Cor. 4, 1. dediq; claves regni cælorum, Joh. 20, 23. multas quoq; animarum myriades fidei vestræ commisi, quas omnes sanguine meo redemi, ut gregem commissum fideliter pasceretis & improbos mei loco adhortaremini. Reddite igitur rationem villicationis vestræ.

Deinde *Magistratum politicum* ad tribunal vocabitur, dicturus: Redde rationem villicationis tuæ. Commisi tibi utramq; legis ta-

bulam, ut justitiâ administrares, & nutricius ecclesiæ meæ esses, Es. 49, 23. portas mundi elevares, Ps. 24, 9. quo velociter curreret sermo meus, Ps. 147, 15. & hoc ipso regnum meum adveniret Matth. 6, 10. An subditis justitiâ administrasti, oppresso subvenisti, viduam defendisti? Es. 1, 17. An subditorum bona conservasti, ut victum atq; amicum illi acquirere, & quilibet sub vite sua & sub ficu sua absq; timore illo habitare potuerit? 1. Reg. 4, 25. Hoc nisi factum fuerit, secundum sententiam latam judicabuntur: Potentes potenter tormenta patientur, Sap. 6, 7.

Tertio *Patres & Matres familias* succedent. Quorum quilibet seorsim ad judicium vocabitur, marito dicetur: Dedi tibi honestam uxorem, quam ut corpus tuum diligere debuisti, Eph. 5, 28. Redde rationem! Uxori dicetur: Dedi tibi honestum maritum, quem reverentiâ, honore & obsequio proficere debebas, Eph. 5, 27. Col. 3, 18. Hoccine fecisti? Redde rationem!

Parentibus in genere dicetur: Dedi vobis sanos liberos, ut eos tanquam hereditatem & mercedem de manu meâ susciperitis, Ps. 127, 3. & in disciplinâ & admonitione Domini educaretis, Eph. 6, 4. iisdemq; præciperetis, ut custodiant viam Domini, & faciant judicium & justitiâ, Gen. 18, 19. Hoccine fecistis? Reddite rationem!

Quilibet proinde, quæ muneris sui sunt, agat, rationem per singulos dies secum instituat, donec hodie cognominatur, Hebr. 3, 13. & per misericordiam Dei reputet se cum, quanto rigore coram tribunali Christi examinandus sit, ut justus vix salvetur: inapius & peccator ubi parebunt? 1. Pet. 4, 18.

*De Secundo.*

**P**ergemus nunc ad alteram partem, & 502 v. 101, sive notitiam Christi meditatur.

turi. Ille nobis proponitur in Evangelio præfente:

I. *Tanquam accuratus observator.* Ita enim dicitur in Evangelio: Erat homo quidam dives, qui habebat villicum; & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona illius. Hoc *διθροπικαδως* dictum: sed *θροπικως* intelligendum venit. Deus enim est spiritus Joh. 4. v. 24. qui replet orbem terrarum, Sap. 1. v. 7. nec eget diffamatione ullâ, sed novit omnia, quæ nec dum facta sunt, Esa. 46. v. 10. & intelligit cogitationes nostras de longè, Pl. 139. v. 3.

Interea tamen Coricæos suos habet, per quos, quæ in abscondito fiunt, sæpè præter opinionem manifestantur, ut sunt:

1. *Angelorum chorus,* bonorum æque ac malorum, qui quotidie circa homines versantur: boni, ut spiritus administratorii, Hebr. 1. v. ult. mali ut leones rugientes, quærentes devorare eos, 1. Petr. 5. vers. 8. Quando igitur angeli boni mali quicquam conspiciunt, eo ipso contristantur, & offerunt Deo, sicut orationem fidelium, Tob. 12. v. 12. Mali verò non tantum ad Deum deferunt, quæ mala patrari vident & audiunt, sed accusant quoque propterea homines ante conspectum Dei, die ac nocte, Apoc. 12. v. 10.

2. *Conscientiarum morsus.* Mala enim illia bestia est, quæ hominem stare facit contra seipsum, ut Lutherus dixit. Hinc Paulus ait, quod ejusmodi homo sit *αυτοκατακρησ* Tit. 3. v. 11.

3. *Creaturarum gemitus.* Exempla testantur, quòd nonnunquam cædes per canes, vel alia animalia proditæ sint.

Mortem Ibyci, Poëtæ Itali grues manifestarunt.

Bellus parricida hirundines de se canere

opinatus, seipsum ita prodidit, ut verum sit illud Salomonis: Aves cæli portabunt vocem tuam, Ecclef. 10. v. 20.

4. *Homo occultus,* Exod. 2. v. 14. 1. Sam. 21. v. 7. c. 22. v. 18.

5. *Sanguis inultus.* Sic sæpè fit, ut homicidâ præfente, corpus trucidati denuò sanguinem stillare incipiat. Hinc Deus ad Cainum fratricidam: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ, Gen. 4. v. 10.

Ecce! his & aliis modis diffamari possumus apud Deum, quando bona ejusdem malè administramus. Quilibet proinde caveat sibi, ne quid malè committat, dicens: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob, Psal. 94. v. 7. sed abdicemus occulta dedecoris, 2. Cor. 4. v. 2, quia nihil opertum, quod non revelabitur, Matth. 10. v. 26. Quodsi non accidit in hoc mundo: certo certius futurum est, die novissimo, ubi Dominus abscondita tenebrarum illuminabit, & manifestabit consilia cordium, 1. Cor. 4. v. 5.

II. *Tanquam severus degradator.* Dicit enim Dominus villico: Jam non poteris amplius villicare. Quodsi juxta merita ejusdem cum eo agere voluisset, jure ipsum non modo officio privare, sed & capite plectere potuisset. Sed adèò rigorosè cum eo non agit, sed ab officio remotum indignum judicat, cui bona sua in posterum committat.

Eodem modo adhuc hodiè Christus agit, cum omnibus iis, qui in functione sibi concreditâ fraudes atqve fallacias versant. Verùm sicuti ejusmodi Dominus est, sine quo nihil facere possumus, Joh. 15. vers. 5. & quando manum suam subtrahit, verè dicitur: Væ illis, ubi ego discessero, Os. 9. v. 12, sic iræ ejus compendium

dium est, quando homines ab officio remouet,

1. *Tempore presentis gratia*, ut, aut in pauperiem aut morbos incidant, aut absumantur à terrore, Psal. 73. v. 19.

Exempla habemus in Pharaone, Exod. 14. v. 28. Haman, Esth. 9. v. 14. Nebucadnezar, Dan. 4. v. 30.

Adhuc hodiè Deus quandoq; exempla statuit in iis, qui potestate sibi à Deo commissâ, in perniciem aliorum tyrannicè abutuntur, unde Maria mater Domini canit: Fecit potentiam in brachio suo, Luc. 1. vers. 51.

2. *Tempore sequentis ira*, quando veniet ad iudicandum vivos & mortuos, tùm plenè & penitus eos de gradu dignitatum deiciet, & cum Diabolis in ignem æternum mittet, Matth. 25. v. 41. Quoniam enim in hoc seculo donis Dei abusi, membra sua, quæ meritò ad Dei gloriam & proximi e molumentum usurpare debuissent, arma iniquitatis ad Diaboli ministerium fecerunt, Rom. 6. v. 13. cum dæmonibus quoq; partem suam habebunt in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda, Apoc. 21. v. 8.

Cum Rex Belsazer manum hominis conspiceret, quæ in superficie parietis aulæ regni, contra candelabrum scribebat: Mene, mene: Thecel, Phares: tantopere commutabatur, & conturbabatur, ut compages rerum ejus solverentur, & genua ejus ad se invicem colliderentur, Dan. 5. v. 5. seqq.

Quanta consternatio, quantus tremor erit respectu impiorum, quando die ultimo Christus ipsis æternum exitum denuncietur est? Ideò maturè respiscere, & cum iniquo villico dicere debemus. Quid faciam? Hic enim remedium parari potest, ibi

verò res desperata erit, ex inferno enim nulla est redemptio, Psal. 49. v. 15.

Quis Rex iturus committere prælium, adversus alium Regem, &c. Luc. 14. 31.

Hæc politicâ sagacitate nos spiritualiter uti debemus, & quia audimus, justissimum judicem adversus nos in viâ esse, rigoroso nos examini subditurus, in quo non consistere valeamus, rogemus ea, quæ pacis sunt, dicentes cum Davide: Domine ne intres in iudicium, Psal. 143. v. 2. Id si fecerimus, Dominus non ex rigore justitiæ nobiscum aget: sed pacem inibit, propter Christum, qui nos sanguine suo patri reconciliavit, Rom. 5. v. 10.

III. *Tanquam prudentia secularis commendator*. Laudavit enim Dominus viliicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filii hujus seculi prudentiores filiis lucis in generatione suâ. Deinde finitâ parabolâ Christus ait: Facite vobis amicos de Mammonâ iniquitatis &c.

Hic Servator uniuersum genus humanum in duas quasi classes distribuit, primam vocat *filios seculi*, alteram *filios lucis*.

*Filii seculi* inde nomen habent, primò, quia mundum diligunt, & quæ in mundo sunt, Joh. 2. v. 15. Deinde, quia partem suam habent in hoc mundo, post in altera vita carituri, Psal. 17. v. 14. Tertiò, quia ita in hoc mundo vivunt, ac si mansionem perpetuam haberent, Psal. 49. v. 12.

*Filii lucis* verò ita dicuntur, quia ex Deo nati sunt, qui pater luminum dicitur, Jac. 1. v. 17. Deinde, quia in Christum credunt, qui est lux vera, Joh. 1. v. 9. Tertiò, quia in luce ambulant, 1. Joh. 1. vers. 7. Ephes. 5. vers. 11. hinc solatium habent, quod aliquando peruenturi sint ad lucem æternam, ubi societatem habebunt cum patre, &c.



re, & eum filio ejus Jesu Christo, 1. Joh. 1. v. 3.

Quando autem Christus filios seculi & filios lucis invicem sibi hinc opponit, & illos his prudentiores statuit in generatione sua: hoc ipso nos excitare vult, ut nos tanquam filii lucis prudentiam spiritualem ab illis discamus, & sic salutem nostram studiosè operemur.

*Filii seculi sunt indefessi, & in omnem occasionem intenti, quomodo concupiscentias suas à diabolo sibi suggestas in effectum deducant, exemplo sit Ammon, 2. Sam. 13. v. 3.*

Vos filii lucis imitamini hoc in spiritualibus, delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui, Psal. 37. v. 4. Thren. 3. v. 25.

*Filii seculi desiderio flagrant cibi & potus, animus eorum semper in patinis est. Manè eonfurgunt ad ebrietatem sectandam, Esa. 5. v. 11.*

Vos filii lucis operamini cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, Joh. 6. v. 27. Matth. 4. v. 4.

*Filii seculi gloriæ æstu flagrant, ideoq; sæpè opes & vitam profundunt.*

Vos filii lucis idem facite, & date ope-

ram, ut bonum certamen certetis, quo coronam justitiæ reportetis, 2. Tim. 4. v. 8. 2. Tim. 2. v. 5.

*Filii seculi varias versutias agunt, ut temporalia acquirant, noctu quoq; iniquitatem cogitantes, Mich. 2. v. 1. Vos filii lucis thesaurizate vobis thesauros in cælo, Matth. 6. vers. 20.*

*Filii seculi amicis suis se accommodant, & testatori blandiuntur, ut in testamento sui rationem habeat.*

Vos filii lucis idem studete: Deus legavit nobis hæreditatem incorruptibilem, 1. Pet. 1. v. 4. ideo caveamus, ne testatorem peccatis nostris ad iram commoveamus, patiamur quoq; æquo animo, quod nos pati jussit, hæc enim conditio testatoris nostri est, Rom. 8. v. 17.

*Filii seculi in id incumbunt, ut ubiq; sibi amicos concilient, Mich. 7. v. 3. Vos filii lucis! facite vobis amicos de iniquitatis Mammonâ, ut recipiant vos in æterna tabernacula. Da pauperibus, & thesaurum habebis in cælo, Matth. 19. v. 21. Calicis aquæ frigidæ mercedem non perdemus, Matth. 10. v. ult. Pl. 34. v. 11. Quin potius vitam cum Christo habebimus, Joh. 10. v. 10. Largiatur eam nobis Deus per Christum, Amen!*

## Dominica X. post Trinitatis.

*Evangelium Luc. 19. v. 41, --- 48.*

### EXORDIUM.

**C**Um Ben-adad Rex Syriæ ægrota-  
ret Damasci, ablegavit ad Prophe-  
tam Elifæum præcipuum suum mi-  
nistrum Hazaël cum pretiosis muneribus,  
& quæsit ex ipso, an evasurus sit de infir-

mitate hac sua. Elifæus significavit ipsi,  
quod non sanandus: sed morte moriturus  
sit, jussit tamen legatum, ne id Regi indica-  
ret: simul posuit vultum suum ad confu-  
sionem, flevitq; vir Dei. Cui Hazaël ait:  
Qua-